



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput III. In quo demonstratur natum Christum VIII. Kalendas Januarias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

Reparatoris. Reſpondeo in iisdem Faſtis hæc verba præter fidem Codicis addita eſſe ad commonſtrandum initium Aerae Dionyſianæ; nam anno 782. ibidem ſignatur Paſſio Chriſti, nec poteſt circumscribi univerſa Salvatoris noſtri ætas annis duntaxat xxviii. quot ſunt ab anno 754. ad 782. Eodem anno 754. die 25. Decembris luna ſignari debebat xvii. cum ibi proximis Kalendis Janua-

riis ſignetur luna xxiv. & nihilominus ſignata eſt luna xv. quæ duo ſunt maniſeſta factæ additionis argumenta. Compertum denique eſt Faſtos ipſos non eſſe tantæ, ut olim credebatur, antiquitatis, ſed Conradus Janningus in Epiſtola ad Schelſtratum ait vix attingere ætatem 500. annorum, Schelſtratus putat nec ſuperare ætatem annorum 300. Vide Append. ad Opus Chronologicum pag. 541.

CAPUT III.

In quo demonſtratur natum Chriſtum viii. Kalendas Januarias.

SUMMARIUM.

1. Status quaëſtionis.

2. Probatur Chriſtum natum eſſe viii. Kalendas Januarias.

3. Et ſeqq. Enodantur variæ objectiones.

1.
Status quaëſtionis.

Non ſolum de anno, verum etiam de menſe ac die Dominicæ Nativitatis litem nobis intentant quamplures. Nonnulli apud Clem. Alex. lib. 1. Stromatum pag. 340. edit. Morelli natum Dominum autumarunt die 25. Pachon, id eſt, 20. Maji juxta Chriſtamanum, & Sylburgium, juxta Baſnagium 25. Quin etiam eo loci quidam dixerunt natum Chriſtum die 24. vel 25. Pharmuthi, Aprilis 19. aut 20. Epiphanius hæreſi 51. num. 24. & 29. ſcribit Chriſtum natum viii. Idus Januarias, qui eſt apud Rom. Januarii dies 6. Aegyptiis autem Tybi 11. Syris, Græcisquæ Andynæi 6. Et quidem in Eccleſia Orientali celebratam olim ex antiqua traditione Epiphaniam ſimul, ac Domini Nativitatem affirmat etiam Caſſianus Collat. x. cap. 2. Hinc Novatores plurimi aſſerunt nihil certum haberi, & falſam eſſe Eccleſiæ Romanæ vulgarem opinionem, ut Gerardus Voſſius Tom. 6. p. 81. Samuel Baſnagius ad an. ante Chriſtum 5. num. 34. Clericus in diſſert. 1. Harm. Evangelicæ ſubjeſta. At Caſaubonus Exercit. 2. in Baronium ſtandum putat ſententiæ Epiphani, & Domini Nativitatem ac Theophaniam, diemque, ut Græci appellant, ſanctorum Luminum eſſe unam eandemque. Joſeph Scaliger natum Chriſtum contendit exeunte Septembri, vel Octobri ineunte, quæ fuit etiam ſententia Matthæi Beroaldi, Hoſpiniani, & Henrici Wolphii gravi cenſura notata in Martyrologio Hiſpano Tom. 11. pag. 386. & à Greſtero lib. 1. de Feſtis cap. 29. pag. edit. Ingolſtadii 216. & tamen hanc recudit Harduinus in Antirrhethico cuſo R. P. Berti Theol. Tom. V.

Parifiis anno 1689. pag. 65. Recentiores Critici quamvis natum Chriſtum viii. Kal. Januarias aut certum, aut ſaltem probabile fateantur; negant tamen id ſequi ex Dominica Incarnatione peracta, ut fertur, die 25. Martii: quod poſtremum vellicant Thomaffinus lib. 2. de Feſtis, Tillemontius Annot. 1. in Jeſum Chriſtum, Serrius Exercit. 31. num. 3. & in Vit. SS. 25. Martii art. 7. Bailletus. Nos à Romanæ Eccleſiæ traditione nullatenus recedentes ſententiam noſtram ſequenti propoſitione explicamus.

PROPOSITIO. Chriſtus natus eſt viii. Kalendas Januarias.

Hæc enim ſententia ſemper in Romana Eccleſia obtinuit, nec quando recepta ſit demonſtrare poterunt adverſarii. Auſtor Conſtitut. Apoſtol. lib. 5. cap. 13. pag. 312. inquit: *Dies feſtos cuſtodite, fratres, in primis Natalem, qui celebratur à vobis die 25. x. menſis: poſt quem Epiphaniæ dies ſit in maximo bonore.* Vetuſtiſſimum Ms. Regium laudatum ibidem à Cotelerio habet: *Sciri debet, quod Annuntiatio facta eſt die Martii 25. Nativ. vero die 25. Decembris.* Laudat ibidem Cotelerius Ms. Regium alterum num. 1819. Idem tradit Chronicum Alexandrinum. Idem Kalendarium pervetustum editum à Bucherio. Idem omnia Martyrologia Occidentalis Eccleſiæ, cum reformato à Baronio. II. Hujus veritatis fulcimentum eſt maximum Traditio Patrum, cujus teſtem locupletiſſimum laudamus Hieronymum, qui initio Commentar. in Ezech. diem Epiphaniarum à Natali aperte diſtinguit, hac producta ex Epiphaniæ etymo ratione, *Tunc enim* abſcon.

R x

absconditus est, non apparuit: quo in loco Hieronymum contrarium esse præceptori suo Nazianzeno, immerito queritur, ut mox videbimus, Isacius Casaubonus S. P. Augustinus idem docet in Psalm 132. lib. iv. contra Cresconium cap. 37. & lib. iv. de Trinit. cap. iv. nec ex vulgi opinione, sed *ex traditione majorum.* Ut nonnullos ex Græcis proferam, missa Epistola Joannis Nicæni edita à Combesio, quam spuriam arbitrantur permulti, ac missis testimoniis aliorum, de quibus plura Suaresius q. 31. de vita Christi, & Natalis Alex. dissert. 2. sæc. 1. S. Joannes Chrysostomus homilia in Natalem Domini, quam laudat etiam Vossius Tom. vi. pag. 78. ait, sententiam nostram *Occidentem incolentibus jam à superioribus notam:* addit, *ab illis, qui exacte hæc norunt, hunc diem se accepisse:* concludit veritatis signum esse apertissimum, quod repente hæc sententia increverit, & ab omnibus recepta fuerit. Vide Tom. v. edit. Com. pag. 446. Produci etiam potest altera Chrysostomi Homilia de Nativitate Domini, in qua traditionem de die Servatoris nostri Natali in Romana Ecclesia fuisse servatam, atque in Occidente doceri nos à Petro, non in Oriente, ubi ortæ sunt hæreses, & discordiæ: quæ Homilia extat Tom. 2. edit. Basileensis pag. 1090. ac Lugdun. 522. Quamquam enim apparet spuria, neque Chrysostomi habet salivam, & à Sixto Senensi lib. iv. Bibl. S. aliisque rejicitur; accurate notandum est, à Tito Bostrensi fuisse collectam ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, qui licet magno litterariæ Reipublicæ detrimento perierint, à Chrysostomo tamen editos affirmant Suidas, & Euthymius. Asservari enim Florentiæ in D. Marci Bibliotheca perantiquum Ms. collectum ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, Titi Bostrorum Episcopi inscriptum nomine; in quo hæc eadem oratio est secunda numero, scripsit olim ad Joannem Casam Christophorus Sarrarius. Atque iis defendi possunt, qui hujus homiliæ ducuntur auctoritate. III. Annuntiatio quoque Deiparæ Virginis die 25. Martii recte colitur, atque ita *traditum à Majoribus,* scribit citato libro iv. de Trinit. cap. 5. S. P. Augustinus, Auctor Chronici Alexandrini & die 25. Martii Dominum conceptum asserit, & enumeratis diebus ab apparitione facta Zachariæ mense Septembri explicat, quomodo in Virginis Annuntiatione Elisabeth sextum mensem ageret à Præcursoris conceptu, Tom. xii. Bibl.

PP. pag. 924. Idem demonstrat Chrysostomus præcitata homilia in Servatoris nostri Natalem; comprobaturque Præcursoris Nativitas, quæ contigit, *sicut tradit Ecclesia,* viii. Kal. Julias, ut inquit Augustinus in Psalmum 132. Conceptum Dominum die 25. Martii tradit Tom. ix. Bibliothecæ Patrum pag. 939. Anastasius Antiochenus, & Auctor Chronici Paschalis apud Honoratum in Animag. Criticis Tom. 1. pag. 267. Accedunt vetera Martyrologia, antiquissimum Anglo-Britanicum ante annos mille exaratum, de quo Henschenius Tom. 111. Martii, attributum Hieronymo apud Sallianum ad annum Christi 34. antiquum Corbejenfe, & Ms. Reginæ Sueciæ nongentorum fere annorum apud Florentinum pag. 396. Si autem viii. Kal. Aprilis conceptus est Christus; quare in dubium revocatur traditio de die Natali, cum omnes fere infantuli diebus 276. quot numerantur ab illa die usque ad 25. Decembris, id est, novem mensibus materno in utero claudantur? IV. Denique non desunt congruentiæ, cur debuerit in Decembri Salvator nasci: quandoquidem tempus, quo frigus riget, & crescere incipiunt dies, commonstrat mundi Reparatorem pro nobis vitæ hujus incommoda suscepisse, atque ortum justitiæ Solem, ut nos de tenebris revocaret ad lucem; præbuisse nobis exemplum ferendi æquo animo ingruentes calamitates, dum ipse, cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, natalem suum asperissimo molestissimoque alligavit; nascendo tandem in fine anni extremam mundi ætatem adventu suo consecratam in mentem hominum revocasse. Verum de his Augustinus citata enarrat. in Psalm 132. num. 1. Bernardus serm. 3. de Nat. Dom. Guilelmus etiam Durandus lib. vi. Enchiridii divinarum Officiorum cap. 13. num. 2.

Oppones 1. Nequit ex traditione certo colligi dies Christi natalis, cum apud Clementem Alexandrinum diversæ de hac re notentur sententiæ, & Græci, ut liquet ex Epiphania, & Cassiano supra laudatis, Domini Nativitatem cum Epiphania simul celebraverint.

Resp. 1. Traditionem, si apud Orientales aliquandiu fuit incomperta, viguisse perpetuam atque incorruptam in Ecclesia Romana aliarum omnium Magistra: unde Chrysostomus citata homilia in Servatoris nostri Natalem interprete Petro Pantino, ait: *Quare*

nota

non erraverit, qui eundem diem novum simul & antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum exacta ejus notitia ad nos provenerit: antiquum vero & vetustum, quod celeriter vetustioribus ætate velut suppar redditus sit, & ad eundem cum ipsis temporibus commensum evaserit. Ut enim generose & nobiles stirpes (etenim simul terræ inseruntur, etiam celeriter in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur) non aliter hic dies, cum ab exordio istis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus, repente ita increvit, talemque fructum tulit, qualem nunc cernere licet septis nostris ubique refertis, temploque universo præ multitudinem concurrentium angustato. Deinde respondeo Orientales utique præcis sæculis simul Natalem Christi, & Theophaniam celebrasse, ut liquet ex Monologio per Sirletum edito, & ex dissert. de Dominicis Græcorum Leonis Allatii, num. 32. Græcorum tamen complures nativitatem ab Epiphania, Epiphaniā à Theophania, sive diem qua Christus apparuit in carne nascendo, ab illa, qua manifestatus est gentibus distinxisse. Theodorus enim Studita 37. catechesim sic incipit: *Αἱ ἐορταὶ τῆς παρρησίας, τὰς θεοφανίας, καὶ ἐπιφανίας: Jam feria transiere, cum Theophania, tum Epiphania:* Gregorii Nazianzeni Orat. 39. titulum præfert de secundis Epiphaniis appositum, ut inquit Cotelierus ad lib. 5. Constit. Apost. à Rufino. *Duas Epiphanias*, unam qua Christus apparuit Pastoribus, alteram qua revelatus est gentibus, distinguit etiam Isidorus lib. vi. Origin. cap. 18. & Auctor sermonis olim 18. inter Ambrosianos, nunc 137. in Appendice Augustinianorum. Potest ergo Latinorum, Græcorumque traditio facile conciliari, dicendo Orientales duas Appariciones simul celebravisse: unde plurali numero hujus celebritatis diem nuncuparunt *Epiphaniarum, Theophaniorum, Sanctorum luminum*. Ita Nazianzeno secundas Epiphanias agnoscendi non adversatur Hieronymus, ut conqueritur Casaubonus. De Clemente Alexandrino plura non dicam, cum duas sententias à nostra diversas repudiet, affirmetque primam à curiosis quibusdam confictam, à Basilidianis postremam.

§. Opp. 2. Non ex Veterum traditione, sed duplici alia ex causa alligavit Romana Ecclesia Natalem Domini viii. Kal. Januariæ: quarum causarum una est, quod Ethnicī celebrabant eadem die ortum Solis; in Calendario enim Romano
R. P. Berti Theol. Tom. V.

de Mithra, id est, Sole extabat, viii. Kal. Jan. N. Inv. hoc est, Natalis Invicti Invictum vero esse Solem recte notavit Grævius, & ex Nummis Gallieni demonstravit Harduinus. Igitur congruum visum est eodem die Christi, qui est Sol justitiæ, recolere natalitia. Causam alteram præbuit falsa opinio, quod Zacharias fuerit summus Sacerdos: unde quidam inferunt mense Septembri, in festo Tabernaculorum, ingresso Pontifici in Sancta, quò semel tantum in anno fas erat ingredi, Gabrielem Archangelum prænuñtiasse nativitatem Joannis Baptistæ, & sexto post mense, ut legimus Lucæ 11. 36. nempe Martio, factam Virginis Annuntiationem, ac novem revolutis mensibus natum Christum in Decembri. Id autem & valde dubiam habet supputationem, & falsum supponit; quia revera Zacharias non fuit summus Sacerdos, sed ex una ex 24. familiis, quæ non uno tantum die in Sancto Sanctorum, sed per unam hebdomadam, juxta familiarum vicissitudinem & sortitionem, extra velum, ubi erat ara suffitus, administrabant liturgiam: quod innuit ibidem Evangelista versu 8. illis verbis, *cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ.*

Resp. ineptam esse primam ex hisce duabus causis: nunquam enim Ecclesia Christi celebritatum suarum normam accepit ab Ethnicis, imo ex adverso dæmon superstitionis auctor cultus ritusque instituit in veræ religionis contemptum; & hæc ceremonias suas ad idololatriam eliminandas: quare ex ea ratione potius inferendum est, Orientales olim non celebrasse Domini natalitia proprio die, ut se opponerent Ethnicis celebrantibus ortum Mithræ, quàm Occidentales ex hujus cultu in diem improprium transulisse solemnia salutiferæ Nativitatis. Causam alteram nos quidem non produximus: nequit enim labefactari antiqua traditio per hoc, quod in ea comprobanda quidam scripserint aliquid falsi; quoniam traditio antiquitate sua, & Ecclesiæ auctoritate roboratur, non rationum additamentis. Sive ergo Zacharias summus Sacerdos fuerit, sive non fuerit; potuit Joannes nasci die xxiv. Junii, potuit Christus concipi die xxv. Martii: atque ita factum esse accepimus à Majoribus. Age tamen, nonnulla etiam de hac re disseramus. Zachariam simplicem fuisse Sacerdotem non solum tradunt Etherodoxi, verum & Nostratium plurimi, Lyraus, Salmeron, Janfenius, Barradas, Sylveira, Didacus Stella, aliique Interpretes in Lucam. Adde Sigonium

6.
Respondetur.

nium de Republica Hebr. lib. v. cap. 3. & Card. Gotti Tom. iv. de Verit. R. Ch. cap. 7. Sed Zachariam fuisse Pontificem affirmat Joannes Chrysostomus citata Homilia in Servatoris nostri Natalem pag. 473. Auctor Chronici Alexandrini à Raderio latine redditus Tom. xi. Bibliothecæ Patrum pag. 924. Anastasius Sinaita Tom. ix. pag. 939. Theophylactus in Lucam pag. 300. Ambrosius (quamquam is utitur verbo, *videtur*) lib. i. in Lucam num. 22. Augustinus Tract. 44. in Joannem 2. parte Tom. 111. pag. 629. Venerabilis Beda Tom. v. pag. 29. Nec repugnat Hieronymus, qui Epistola 4. ad Rusticum in edit Martiani 95. appellat Joannem Baptistam *filium Pontificis*. Arbitror non posse pro sententia opposita talem Patrum numerum laudari, imo pro se nullum citati Interpretes proferunt: quare majori ducuntur auctoritate Hofmeisterus, Paulus Burgenfis, & Cajetanus, qui Zachariam connumerant inter Pontifices. Videtur id magis conforme etiam Evangelio Lucæ, ubi versu x. legitur: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*; siquidem Levitici xvi. 17. præcipitur, ut nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur: ibique notatur in margine prædictus versus 10. Lucæ. Versu etiam proximo legitur, *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi*; nimirum, quod Pontifex semel in anno deprecaretur super cornua Altaris, ut legitur Exodi xxx. 10. Addit Evangelista versu 21. *Et mirabantur quod tardaret ipse in templo*; quæ aut significant Zachariam plebe expectante latuisse intra velum, aut saltem solum, & nullo Sacerdote comitante ingressum in Sancta: alioquin rei novitas cæteris innotuisset. Præterea probabilitate non caret intra velum fuisse situm altare thymiamatis: quod non solus Augustinus affirmat, ut inquit Lyranus, verum etiam Chrysostomus citato loco scribens, *Altare sacrificiorum & holocaustorum foris erat, intus vero incensi*: imo Apostolus ad Hebr. ix. 4. ait *thuribulum fuisse post velamentum secundum*: quod multum torsit interpretes, & perdifficile fatentur Salmeron disput. 32. Tom. 2. Joan. de la Haje in 30. caput Exodi. At, si ve θυμιατήριον sit mensa, sive batillum cum prunis; cur intra velum collocabatur, nisi ob adolendum incensum? Probabilis est ergo sententia Patrum, quam temere nonnulli vellicant, de Zachariæ summo Pontificatu. Nam quod ajunt habitasse in montanis, non Jerosolymæ, ubi morabatur

Pontifex, & dici Sacerdotem *de vice Abiæ*, solutum est ab Augustino præcit. Tract. 49. num. 27. ubi ait olim quidem unum fuisse summum Sacerdotem, cui mortuo succederet alius, sed postea constitutum, ut plures essent, & singulis vicibus ministrarent: idemque affirmat Beda superius laudatus, & serm. 92. Chrysologus. Ex Evangelica quoque Historia Luc. 111. 2. liquet fuisse eodem tempore Sacerdotum principes Annam & Caipham; & ex verbis Joannis xviii. 13. *Qui erat Pontifex anni illius*, infertur Pontifices singulis annis fuisse sorte ac vicissitudine permutatos. Hæc tamen omnia dicta sint in defensionem sententiæ Augustini, aliorumque Patrum; quamvis in opposita adhuc persistat vetus traditio de tempore Dominicæ Nativitatis.

Opp. 3. Ea nocte, quæ est natus Salvator mundi, *Pastores erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*, Lucæ 11. 8. At incredibile est summa hieme armenta, ac pastores sub dio pernoctasse. Resp. Wolphii, & Beroaldi argumentum, etsi probatum Scaligero, & ab Harduino recoctum, sicut & affine aliud, quod census non fuisset indictus à Casare cum tanto populorum incommodo, dici à Gretsero vanitatem, & ratiunculam, necnon parum solidum etiam à Casaubono Exercit. 11. sect. 7. & à Vossio num. 13. quia etiam in Anglia, ubi nullus est à lupis, & aliis noxiis animalibus metus, armenta toto anno in agris pernoctant, idque Vossius, cum sæpius per Angliam iter faceret, à se compertum testatur: ac verisimilius est, si loquamur de Palæstino agro, non adeo glacie, nivibusque obstituto; & si ulterius animadvertamus pastores mapalia construere, ingredi palearia, succendere arbusta, ac se vestire cæsi pecudis pellibus. Rejicimus tamen sententiam eorum, qui Lucæ textum exponunt de diurnis excubiis, eo quod ἀγρου λέγειν potius sit sub dio agere, quam excubare: etenim quod sequitur, φυλάσσοντες φυλάκας τῆς νυκτός, *Custodientes vigilias noctis*, nocturnas excubias satis exprimit.

Opp. 4. Etiam si detur conceptum Dominum die 25. Martii, non sequitur natum 25. Decembris, cum aliquando infantes ultra novem menses gestentur materno in utero, aliquando in lucem breviori tempore proferantur. Resp. 1. Nos attendere ad Ecclesiæ traditionem. Deinde dicimus cum Augustino lib. 1v. de Civit. Dei cap. 5. parientibus fœminis imputari decem menses, id est, novem menses &

7.
Obicitur 3.

8.
Respondetur.

& ſex dies, & licet non omnes ad ſextum diem poſt nonum menſem perveniant, corpus tamen Domini diebus 276. fuiſſe perfectum, quia tot computantur ab VIII. Kalendas Aprilis ad VIII. Kal. Januarias. Addimus ſi citius, aut tardius emittatur fœtus, vel cauſam eſſe hujus imperfectionem, vel matris invaletudinem. Denique de Eliſabeth legimus Luca 1. 57. *Impletum eſt tempus pariendi*, & de Maria Virgine Luca 11. 6. *Impleti ſunt dies, ut pareret*: quæ verba nullibi in univerſa Scriptura leguntur, niſi de partu Joannis, & Chriſti, ut percipiamus ſervatum in his ordinarium tempus maturandi partum, quamvis unus fuerit de ſterili, alter de puella conceptus.

9.
Obſicitur 4.
& Reſpon-
detur.

Opp. ult. Ammianus Marcellinus de Cæſare Juliano Apoſtata inquit: *Feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Epiphaniam dicunt, progreſſus in*

eorum Eccleſiam, ſolemniter Numine adorato diſceſſit: quod referens Tom. III. Annal. Zonaras ait, *Ipſe Natali Domini Eccleſiam ingreſſus, adorato Numine diſceſſit*. Dies ergo Epiphaniæ, & Natalis eſt idem proſus. Reſp. nego conſeq. nam Julianus tunc verſabatur in Galliis, inquit Cotelierus, ubi more Occidentali dies Nativitatis & Epiphaniæ ſeparate obſervabantur. Ad hæc nonne potuit utraque die Julianus adire templorum limina? Tandem Zonaras appellare poteſt diem *Epiphaniarum* diem Natalem, quod Græci olim duas ſimul Apparitiones recolerent, ut dictum eſt ſupra. Nota Caſaubonum ipſum reſellendo ſententiam Scaligeri de Chriſto nato exeunte Septembri hæc verba veritate cogente protuliſſe, *Vetuſta traditio Eccleſiæ non temere nobis rejicienda*. Dignum, quo diſſertatio noſtra abſolvatur, proloquium.

C A P U T IV.

Vindicantur nonnulla, quæ in vita Chriſti ante baptiſmum acta perſtringunt moroſi Critici.

S U M M A R I U M.

1. Acta Chriſti ante baptiſmum.
2. uſque ad 6. Solvuntur obſectiones quantum ad Domini præſepio, & inenabula.
6. An Magi adoratores fuerit Reges.
7. Fundamenta ſententiæ negantis.

8. uſque ad 13. Solvuntur hæc fundamenta.
13. Adoratio Magorum fuit Religioſa.
14. & 15. Solvitur obſectio.
16. & ſeqq. Domus Nazarethana translata fuit Teſactrum, & hinc ad Piconos.

1.
Acta Chriſti
ante baptiſ-
mum.

ITAQUE VIII. Kal. Januarius anno Cæſ. Auguſti XL. cum Joſeph à Nazareth, ſed familia Bethlehemiſis, & Maria deſponſata illi uxor Bethlehemum ſecontuliſſent, cauſa cenſus à Cæſare indiſti, ut capita omnia provinciarum, regnorumque amicorum deſcriberentur; impletis diebus ut pareret Virgo habens in utero de Spiritu ſancto conceptum Deſiderium gentium, ac mundi Reparatorem, enixa hunc eſt, & reclinavit in præſepio, cum nullus eſſet ei locus in diverſorio reſerto hoſpitem multitudinem. Paulo poſt advenerunt Jeruſolymam Magi quærentes Regem Judæorum nuper natum, cujus ſtellam inuſitato lumine radiantem in Oriente à ſe conſpectam dixerunt; reiſque novitate Herode rege, & Jeruſolymorum civibus perturbatis, cum aſſerent Scribæ Chriſtum naſciturum in Bethlehem Judæ oppido, juxta Michæ vaticinium, illuc dimiſſi Magi proſecti ſunt, & adorato Puero, auri, thuris, & myrrhæ munera illi obtulere. Nec ad Herodem reverſi ſunt; ſed diverſum arripientes

iter, illuſo rege ipſorum reditum expectante, patrios lares adierunt. Tunc Herodes infantes omnes bimulos, minorisque ætatis in finibus Bethlehemiticis immaniſſime trucidavit; at interim Chriſto circumciſo, cæterisque peractis ſecundum conſuetudinem legis, Joſeph, cum Maria ac puerulo, ab Angelo monitus in Ægyptum confugit; ibique permaſit uſque ad Herodis obitum: quo vita ſuncto, Angelo pariter commonente, Joſeph cum Virgine, divinoque Pignore in patriam reverſus habitavit in Nazareth, quæ eſt civitas Galilææ diſtans à monte Thabor duabus leucis, & ab urbe Jeruſolyma trium dierum itinere. Ab illa autem civitate, Domini primum conceptione, Luca 1. 26. dein de vero incolatu, Matth. 11. 23. celeberrima, & eo grandiori, quo Judæi dictabant è Galilæa nullum prophetam, atque è Nazareth nihil eſſe boni oriturum, Joan. 1. 46. & VII. 52. ab illa, inquam, civitate Jeſus Chriſtus appellatus eſt Nazærenus.

R r 3

I. Quan